

Q.F.F.Q.S.
DE
STUDIO CONSERVANDI
RELIGIONEM PER NUMMOS
DISSESTIT
ET AD AVDIENDAM D. XXVIII APRIL. A. M DCC XXI.
ORATIONEM SOLEMNEM
SYMBOLVM
VIRI ILLVSTRIS ET MAGNIFICI
DOMINI
Petri Henrici
TESDORPFII
REIP. LVBECK CONSVLIS
IMMORTALITER MERITI:
PIE. HONESTE. TEMPERANTER

IIm
788



EXPLICANTEM
LITTERARVM PATRONOS AC FAVTORES
INVITAT
IO. HENR. VON SEELEN
RECT. LVBECK.



§. I.

Dudum docuit experientia, hodieque confirmat, quod cunctae gentes, quae non ab omni Numinis cultu remotae, Religionis, siue falsae, siue verae, conferaudae curam gerant maximam. Cum autem nihil fere melius atque diutius rerum memoriam possit retinere, quam numismata, horum etiam subsidium eo fine fuit adhibitum. Adhibuerunt enim et falsae et verae religionis cultores, de quorum studio delibabo quaedam breuiter, quia integrum hoc argumentum, quod late patet, paucae paginae non capiunt. Praemissis nonnullis de religione falla, verae in primis rationem habebo.

§. II. Falsam suam Religionem gentes per Nummos conseruare studuisse, inde manifestum est, quod *DEOS ac DEAS*, & alias res sacras, in iisdem exhibuerint. Apparet in nummis *IVPITER*, modo *Liberator*, modo *Custos*, modo *Tutator*, modo *Sospitator*, modo *Conseruator*, modo alter appellatus. Locrenses praesertim hunc Iouem in nummo rarissimo (a) conspiciendum dederunt. Sistitur in nummi huius prima facie Caput Louis laurea coronatum, addita voce: ΛΟΚΡΩΝ (scil. ΘΕΟΣ). In altera sunt tria Numinum Symbola, in medio *Fulmen*, a dextro latere *Cornu copiae*, a sinistro *Caduceus*, quibus *IVPITER*, *CERES* (b) ac *MERCURIVS* (c) indicantur. Notatu haud indignum iudico, quod in parte anteriori vnum Deus, in posteriori tria Numinum symbola ostendantur, quamvis non ausim ideo affirmare, Locrenses Deum in essentia vnum, in personis trinum agnouisse. Apparent in nummis ΑΓΑΘΟΙ ΔΑΙΜΟΝΕC, siue *GENII* (d), *HERCVLES* (e), *BACCHVS* (f), *NEPTVNVS* (g),

* 2

MARS

- (a) Apud Prosp. Parisium in Raris Numismat. Magn. Graec. Tab. IV. n. 8. Alios nummos Iouis aut figura, aut nomine, aut symbolo notatos vid. ap. Car. Patinum Thesaur. Numismat. p. 43. 48. 74. 91. 191. Ezech. Spanhemium de Vsu et Praestant. Numism. p. m. 393. 743. (b) Nummos, in quibus Ceres, vide ap. Spanhemium l. c. p. 156. Patinum de Numismatib. Imp. Roman. pag. 155. (c) Patin. l. c. pag. 440. (d) Spanhem. l. c. pag. 654. Patin. l. c. p. 213. (e) Patin. Thes. Numism. p. 89. 190. (f) Herculem et Bacchum coniuncte gebant

MARS(*b*), APOLLO(*i*), SOL(*k*), VENVS(*l*), VESTA (*m*), DIANA (*n*), ISIS (*o*), IVNO (*p*), PIETAS (*q*), MONETA (*r*), SALVS (*s*), IVSTITIA (*t*), PAX (*v*), FORTVNA (*x*), CLEMENTIA (*y*), CONCORDIA (*z*), et quae alia a gentibus sunt efficta ac culta Numina. *FESTA* praeterea, ΘΕΟΓΑΜΙΑ (*aa*), ΔΙΟΣ ΓΕΝΕΘΛΙΑ (*bb*), et plura in nummis occurunt. SACERDOTES (*cc*) quoque, SACRIFICIA (*dd*), INSTRVMENTA SACRA, *Simpulum*, *Tripus*, *Lituus*, *Patera* (*ee*), CONSECRATIO (*ff*) et aliae res ad religionem pertinentes in iisdem representantur.

§. III. Veri etiam cultores Dei optimi maximi nummorum sub-sidium religionis conseruandae ergo non neglexerunt. Nominandi hic primo loco sunt Ebraei, in quorum nummis (*gg*) documenta sunt religionis, dum non solum PERSONARVM RELIGIOSARVM, DAVI-DIS ET SALOMONIS, sed etiam RERV, SICLI ISRAELIS, SANCTAE IERUSALEM, VASIS MANNAE, VIRGAE AARONIS, imo etiam, si nonnullis auctoribus fides habenda, TEMPORIS CIRCVM-CI-

-
- gebant in nummis, ac *Deos Auspices*, sive *Patros* appellabant. Patin. l. c. p. 182.
 (*g*) Patin. Num. Imp. Rom. p. 39. (*b*) Patin. l. c. pag. 440. Thes. Num. pag. 75. 147. (*g*) Spanh. l. c. p. 382. (*g*) Laur. Pignor. de Magn. Deum Matr. p. 6. (*l*) Patin. Thes. Num. p. 15. Num. Imp. Rom. p. 311.
 (*m*) Aen. Vicus in Augustar. Imaginib. p. 182. (*n*) Franc. Mediobarbus in auctior. edit. Numismat. Occonis pag. 183. Io. Vaillantius in Numismat. Graec. p. 34. 62. 63. Patin. Thes. p. 167. Claud. Menetrieus in Symbolica Diana Epheliae Statua exposita ap. Gronov. T. VII. Thes. Antiq. Graec.. (*o*) Pignorius in Mens. Ifiac. Exposit. p. 34. (*p*) Patin. Thes. pag. 77. 179. (*q*) Io. Weidneri Pietas in Nummis antiquiorib. delineata, Ien. 1694. 4. (*r*) Dav. Hoffmanni Diff. de Dea Moneta. Helmest. 1717. (*s*) Vicus l. c. p. 40. 47.
 52. Iac. Phil. Tomasinus in Manus Aeneae, Cecropii Votum referentis, Dilucidat. p. 46. Claud. Gr. de Bofe Differt. sur le Culte, que les anciens ont rendu a la Deesse Sainte. Parif. 1705. 12. Guil. Musgrave Exercit. de Dea Salute. Lond. 1717. 4.
 (*t*) Vicus l. c. p. 46. (*v*) Io. Smetii Antiquitatt. p. 221. Patin. Thes. Num. pag. 147. Conf. mea Eclog. Archaeol. de Dea Pace. (*x*) Patin. l. c. pag. 78.
 (*y*) Vicus l. c. p. 82. (*z*) Patin. l. c. p. II. 53. 61. (*aa*) Ez. Spanhemii Diff. quinque, ad calcem Morellii Specim. Rei Nummar., quarum secunda ΘΕΟΓΑΜΙΑ exponit. (*bb*) Car. Patini Natalitia Iouis in Numism. Imp. Anton. Caracalla expressa. Patav. 1681. 4. (*cc*) Spanhem. de Vsu et Praefstant. Numism. passim. (*dd*) Patin. Thes. Num. p. 175. (*ee*) l. c. pag. 53. (*ff*) V. C. Io. Burch. Menkenius in elegantissimo Schediasm. de Augustorum Augustarumque Consecratione ex Nummis illustrata. Lips. 1694. 4.
 (*gg*) De his scripsere Villalpandus, Hottingerus, Kircherus, Brerewoodus, Waserus, Conringius, Relandus, et alii satis noti, sed hypothefibus diuersis, quas prolixie

CISIONIS (bb) mentio iniicitur. Vsum numismatum Ebraeorum in religionis negotio declarat Athanasius Kircherus (ii), edifferitque, quod in iis sit mnemosynon beneficiorum populo electo praefitorum, incitamentum ad charitatis feroorem, fideique constantiam, memoria Hierosolymae, ciuitatis sanctae, et non tam splendore templi, quam potius diuini cultus sinceri et incorrupti exercitio illustris, typus Christi per Manna adumbrati, et alia ad Ebraeorum religionem spectantia.

§. IV. In sacra Christianorum speciatim republica nummi haud pauci reperiuntur, quae religionis memoriae conseruandae possunt inferire. In primis hic commemorandi sunt nummi, in quibus ipsius IESV CHRISTI mentionem esse factam videmus. Singulares sunt duo nummi, tempore Augusti, sub quo Liberator natus, cusi. Prior in una parte habet imaginem AVGUSTI: in altera haec verba: SALVS GENERIS HVMANI (kk). Posterior, itidem ad AVGVSTVM pertinens, et circa tempus fere nativitatis Christi signatus, ostendit Orbem inter duos olivae ramos, et inscriptionem: PAX ORBIS TERRAVM (ll). Quamuis autem hi nummi sint valde notabiles, non auffim tamen cum nonnullis Augustum dicere typum Saluatoris. Neque omnes nummi, in quibus Christi imago occurrit, pro genuinis sunt habendi. Circumferuntur enim aliqui, quos adulterinos esse, viri docti dudum obseruarunt. Solent referri ad eos cuncti Hebraica inscriptio- ne notati (mm), quos aut Christianum quendam Hebraice doctum, aut Iudaicum sacra Christiana amplexum signasse, eruditorum est conjectura. Inter hos reperitur aliquis, cuius una pars exhibet Saluatoris faciem; altera hanc epigraphen: יְשׁוּעָה נֶצֶר מִשְׁיחָה וְאֶתְמָדָה (h. e. Iesu Nazarenus, Messias, Deus et homo simul). Neque in omnibus se, tanquam genuinos, probarunt, qui Constantini et Iustiniani, Imp. temporibus effigie Christi procusi dicuntur. Sunt tamen in iis Christianae

* 3

re'

lixe recensere, chartae angustia non permittit. Placent in primis, quae de nummis Iudaicis ex variis auctoribus docte commentatus est V. E. Loescherus in lib. de Cauf. Ling. Ebr. p. 200. sqq. (bb) Extat ap. Villalpandum in Comm. in Ezechiel., Kircherum in Turri Babel p. 161, et alios, nummus litteris valde detortis. In eo Balsamif fructicem ambient verba, quae Villalpandus, Kircherus et plures legunt **סֻלָּע** circumcisio tempus: inio Villalpandus putat, nummum hunc in memoriam Circumcisiois magnae sub Iosua institutae esse signatum. Stephanus Moritus vero Exercit. Ebr. P. II. c. 9. mauult legere **סֻלָּע**
caesus duplicitur, i. e. planta Balsamii caesa felicius crescit. Conf. Loescherus l. c. pag. 204. sq. (rr) l. c. pag. 160. sq. (kk) Iac. Biaeus in Numim. Aur. Imp. p. 6. (ll) l. c. p. 10. (mm) Sunt eorum icones et describit Reiskius de Imagin. Iesu Christi p. m. 182. sq.

religionis documenta, aequa ac in illis, in quibus *Cruix* medium num-
mum occupat, cum hisce ad quatuor angulos characteribus: IC XC
NI KA i. e. *Iesu Christus vincit nn.* Si Io. Scylitzae, saeculi vndecimi
Historico Graeco (oo), fides habenda, Ioannes Zimisces, Imperator saec.
X. Orientis, primus fuit, qui in nummis et obolis Christi imaginem
describi iussit. Προσέταξε δὲ, inquit Scylitzes, καὶ ἐν τῷ νομίσματι καὶ ἐν
τῷ ὀβόλῳ εἰκόνα ἐγγράφεισα τεσσαρῶν, μη πρότερον τέττα γενομένην.
Conspiciuntur autem in nummis Zimiscianis, praeter Liberatoris effi-
giem, haec verba: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ. Fusius
hoc de nummis, Christi imaginem et laudes habentibus, argumentum
doctissimi viri, Ioannes Reiskius (pp) atque Carolus du Fresne (qq), ex-
cusserunt. Vnicum istud addo, quod testetur Scylitzes, post Zimisen
reliquos summos Imperantes morem exprimendi in nummis imaginem
Seruatoris retinuisse. Τέτο δὲ, scribit, καὶ οἱ καθεξῆς ἐπήρησαν βασιλεῖς.

§. V. Nostra religio Lutherana, inter omnes hodie princeps, per
nummos quoque sua certo modo habuit incrementa. Vtī vero haec ab
antiqua illa Christiana neutiquam differt, ita non cum Luthero demum
coepit, sed dudum ante illum extitit. Prouoco breuitatis gratia ad so-
lum Lutheri prodromum, IOANNEM HVSSVM, in cuius, et doctrinae,
quam constantissime, ad mortem vsque, confessus est, memoriam Equi-
tes Bohemi nummum eximiae magnitudinis, ex auro pariter atque ar-
gento, cuendum curarunt. Pars aduersa instrueta est imagine Husi
et nomine: IOAN. HVS; nec non his verbis: CREDO VNAM ES-
SE S. CAN. CATHO. ECCL. i. e. *Credo unam esse sanctam Canonicam Ca-*
tholicam Ecclesiam. Pars auersa ostendit martyrem in igne, addita epi-
graphe: CENTVM REVOLV. ANNIS. DEO REDD. ROEM. ET MI-
CHI CON. NAT. 1415. i. e. *Centum reuolutis annis Deo reddetis rationem*
et mihi Constantiae nato (rr). Cum vero nullum religionis nostrae tem-
pus notatu sit dignius, eo, quo per MARTINV M LVTHERVM, virum
plane incomparabilem, fuit purgata, praedicandum quoque omnino est
studium eorum, qui diuini operis argumentum, memoriam, laudes num-
mis insculpi iusserunt. Magna est eiusmodi nummorum copia in Guil.
Ern. Tentzelii *Saxonia Numismatica*, ex qua eum modo repetam, in quo
Ec-

(nn) du Fresne Diff. de Infer. Aevi Numismatiq. ad calcem T. II. Glossar. p. 20. Conf.
Lipsum et Gretserum in libb. de Cruce, in quibus passim nummi cruce coronata
in signiti reperiuntur. (oo) in Hist. p. 683. (pp) I. c. p. m. 177 - 201.
(qq) I. c. pag. 20. sqq. (rr) Ita exponunt ultima verba celeberr. Auctōr.
Relatt. Innox. 1705. p. 384. Tentzelius autem in Dial. Menstr. 1694. p. 270.
CON. NAT. interpretatur de *condemnato*.

Ecclesiae Lutheranae Symbolum est conspicuum. Debemus eundem
pio Duci HENRICO, cuius etiam in vna parte vultum exhibet, nomen
ac titulum: HENRICVS. D. G. DVX. SAXONIE; in altera: VER-
BVM. DOMINI. MANET. IN. ÆTERNVM. In primis hic commen-
danda est industria Christi Iunckeri, qui sua *Historia Lutheri ex nummis au-*
reis et argenteis eleganter descripta laudem viri de religionis Lutheranæ historia optime meriti sibi acquisiuit. Cum hoc comparandus Theologus celeberrimus, Ern. Salom. Cyprianus, qui cum an. 1717. secunda
vice Iubilaeum Lutheranum celebraretur, et in ipsius honorem ac
memoriam multi nummi, aurei atque argentei, signarentur, collegit eos, inque P. III. Hilar. Evangelic. non solum icones eorum dedit, sed et concinnam explicacionem. Apparet inter eos Tab. IX. et Tab. XII. vterque Lubencensis noster, maior et minor, ex auro pariter ac argento factus et
pag. 54. a Cypriano describitur. Inter Hamburgenses vero praeteriri non
merebatur maximi moduli nummus aureus, artificio et elegantia omni-
no spectabilis.

§. VI. Omitto permulta alia, quibus studium conseruandi religio-
nem per nummos potest euinci. Tam amplum enim est hoc argumen-
tum, ut conscribendo operi haud exiguo materiam queat praebere. Ad-
ducenda hic essent Christiani Schlegelii, Antiquariorum apud Arnstadienses
celebratissimi, *Biblia in Nummis*, in quo opere de nummis, quibus sacri codi-
cis loca inserta, eleganter differunt. Commemorandi essent tot num-
mi cuius in honorem excellentissimorum Theologorum, quorum religio-
nis vindicum memoria dum per nummos ab obliuione vindicatur, re-
ligionis simul memoria conseruatur. Sed isthaec et alia vberius spatium,
vberioremque postulant meditationem.

§. VII. Istius tamen nummi aurei non possum non adhuc memi-
nisse, qui primam huius scripti paginam exornat. Factus ille est in ho-
norem Viri Magnifici et illustris DN. PETRI HENRICI TESDORPFII,
Reip. Lubec. Consulis immortaliter meriti, (quem vt diuinum Numen
per multos porro annos iubeat esse superstitem, vehementer opto,) cuius non
venerandam solum faciem, insignia, et annum, quo Consulari
dignitate auctus, ex eo licet cognoscere, verum in illo etiam inuenitur
totius religionis compendium, symbolo PIE. HONESTE. TEMPERAN-
TER comprehensum. Pietas enim complectitur et credenda et Deo
praestanda: Honestas ea, quibus obstricti sumus aliis hominibus: Tem-
perantia officia, quae homo sui ipsius causa debet obseruare. Haec autem
sunt, quae salutari religioni addictum Christianum scire et facere oportet.

§. VIII. Dignum igitur omnino erat praestantissimum Symbolum,
quod

quod diligenter consideraretur. Fecit hoc elegantis ingenii iuuenis laude non vulgari ornandus,

IOANNES PHILIPPVS PRAETORIVS,

Bucovieuſ, Mefo - Marchic.

Chori symphoniaci Praefectus, qui cum suauissima Musica dulcissimas litteras haud infelicitate coniunxit. Quemadmodum enim Musicam ita callet, ut, quam scite leges compositionis harmonicae cognitas habeat perspectasque, variis documentis, quibus tempa publica personuere, demonstrauerit, sic quoque poëeos et plurium optimarum scientiarum eximiam sibi notitiam comparauit. Reddedit nobis Simonem Georgium Steinmetzium, Chori symphoniaci itidem Praefectum, quem, cum an. 1664. d. 25. Dec. moreretur, cohonestauit publico testimonio, typis exscripto, Henricus Bangertius, Rector, atque non solum in ipsius Memoriae inscriptione vocauit modestissimum et praestantissimum iuuenem, verum etiam passim ea scripsit, quae dum repeteo, veras Praetorii nostri laudes refero. Industria, inquit, consecutus erat, ut metra varii generis non inepta pangeret, et Orationes conscriberet. - - - Meis praelectionibus frequens intererat. - - - Natura ad Musicam ferebatur. Quantum igitur studiis magis seriis suffurari poterat temporis, Musicorum praeceptis cognoscendis et recte canendi scientiae tribuebat. - - - Hoc solertia indeptus est non vulgarem artis istius cognitionem. Nam recte ad Musicorum leges cecinit, obtinuitque, ut et a Musicis peritissimi amaretur, et choro nostro symphoniaco moderando praeferiretur; quo munere sine cuiusquam querela integre functus est. - - - Annis, quibus limina Gymnasi nostri triuit, nec sociordia, nec contumacia, nec factio villo me unquam offendit. Vti vero haec Bangertina verbi iure ad oratorem nostrum applico, ita probo etiam, quod is, Rotchoiensi Academiae nomen daturus, honesta ratione abitum parare studeat. Fiet hoc ab ipso solemnis de laudato SYMBOLO TESDORFFIA-NO Oratione, quae simul animi gratissimi erga Deum, Patronos et Praeceptores erit interpres. Submisse autem ac decenter rogati, MAGNIFICI DNN. CONSULES, Patres Patriae laudatissimi, perillustris DN. PRAEPOSITE, generosiss. DN. DECANE, summe reu. atque excellensiss. DN. SUPERINTENDENS, nobiliss. consultiss. et experientiss. DNN. SYNDICUS, DOCTORES, admodum reu. et praeclariss. DNN. SENIOR PASTORES atque SYMMYSTAE, nobiliss. generos. prudentiss. et ampliss. DNN. SENATORES, PROTONOTARIE ac SECRETARI, nec non cuncti litterarum, quibus inest ad veram felicitatem ducens religio, studiosi, audieris, quae est Vesta benevolentia, hanc Orationem, neque improbabitis oratoris nostri, fauore digni, conatum tam plium, quam honestum.

P. P. Lubecae d. XXVII April. M DCC XXI.




	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86	25.40	27.94	30.48	33.02	35.56	38.10	40.64	43.18	45.72	48.26

B.I.G.

Farbkarte #13
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Q.F.F.Q.S.
DE
CONSERVANDI
EM PER NVMMOS
DISSERIT
M D. XXVIII APRIL. A. M DCC XXI.
NEM SOLEMNEM
MBOLVM
TRIS ET MAGNIFICI
DOMINI
HENRICI
DORPFII
BEC. CONSVLIS
TALITER MERITI:
TE. TEMPERANTER

II m
788

EXPLICANTEM
ATRONOS AC FAVTORES
INVITAT
R. VON SEELEN
ECT. LVBECK.